

maluntque Gifanius in *economia Juris*, & Boerius post Alciatum; atque collecta seu potius in unum volumen collecta, haud diu post obitum Justiniani a quopiam collectore ignoto: privatum hominem, qui non semper ordinem temporum sequutus sit, Gifanius in vita Justiniani autumat: nam licet Agathias (lib. v. pag. 140.) meminerit Libri Novellarum tamquam operis, quod proprium sit Justiniani (Et Harmenopolus de Justiniano: ὁ ἀπὸς τῶν νεαπὸς ἐν ἰδιαιότητι βιβλίῳ συντάξας;) tamen id intelligendum est quoad rem atque materiam, non quoad conscriptionem, ut explicat Alciatus: Justinianus quippe vicius Pandectas seu Digesta, & Codicem, atque Institutiones editantem curavit. Opus igitur posthumum sunt Novellae, quae Graece conscriptae fuerunt, praeter paucas e stylo dignosci solitas, ut auctor est Balduinus, cui succinit Antonius Contius in praefatione ad Novellas. Graece quoque conceptae fuerunt Constitutiones, quae post editum primum Codicem, latae & insertae fuerunt Codici repetita praefationis; perisseque videbantur, librorum culpa, quae avorum nostrorum memoria Graecas literas penitus ignorabant, ut Leanaclavius scribit in libro Notatorum; sed earum quamplurimas Contius & Cujacius restituerunt; unde Latinis elaborandum fuit, ut eas in linguam suam converterent. Itaque statim post Justinianum Novellas in Epitomen redactas Latinitate donavit Julianus (1) Patricius & Exconsul atque Antecessor Constantinopolitanus, (alius ab eo, cui Priscianus libros suos nuncupat (eundem putat Hub. Goltzius in praefat. ad Novellarum editionem Brugensem 1565. & ejus esse tria Epigrammata, quae leguntur in Anthologia Graeca;) sed iisdem aut proximis temporibus, ut existimant Antonius Augustinus, & Cujacius, qui commendat ipsum cap. 40. lib. 8. Observationum Juris: plura de illo Alciatus cap. 46. l. 2. Παραρηγορ Juris. Haec Epitome Novellarum (2) ab Ambro-

Lib. II.

A a

fo

(1) Fabric. Tom. 12. Bibl. Graec. pag. 398. ait, Julianum hunc Justiniani ipsius temporibus fuisse supparem, atque eundem fortasse, cui Priscianus Grammaticus libros suos dedicavit.

(2) Fabric. l. cit. Dividitur in libros duos, quorum prior ad Novellam 63. progrediens Titulis 101. posterior 135. distinguitur, & quasdam Novellas Graece extantes non attingit, alias vicissim exhibet, quas Graece non habemus.